

Daniel Michaelis Joachimus Lucovius

Exercitatio De Providentia Dei

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741203049>


Druck Freier  Zugang



R. U. Theol 1657

Michaelis, Daniel

Vert. Lucovius, Joachim



3

EXERCITATIO
DE
PROVIDENTIA
DEI,

Quam,
IPSO FAVENTE ET ADJUVANTE,
in Academiâ Rostochienſi,

SUB PRÆSIDIO

Reverendi plurimùm, Clarissimi, & Excellentissimi
VIRI,

DN. DANIELIS MICHAËLIS,
SS. Theol. Doctoris, & ejusdem Pro-
fess, Publ., Præceptoris ac Favitoris sui plu-
rimùm venerandi,

publicè

In Auditorio Majori

discutiendam proponit

JOACHIMUS LUCOVIVS,
Parchimo-Mecklenburgicus,

Aut. & Resp.

Ad d. XXI. JUNII

☉ (*) ☉*

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LI.


UNIVERSITÄT
ROSTOCK
PHYSIK

PHYSIKALISCHES
LABORATORIUM

PHYSIKALISCHES
LABORATORIUM

PHYSIKALISCHES
LABORATORIUM

Universitäts-
Bibliothek
Rostock



D. V.
DE PROVIDENTIA DEI.

THESIS I.



Doctrina de Providentiâ Dei nec ignorari sine gravi dispendio potest, nec sciri sine singulari solatio. Et quò magis ab eis, quas ei humana, vel ignorantia, vel pervicacia affricuit, corruptelis liberatur, eò & ad Dei gloriam illustrandam magis conducit, & ad majorem hominis in pietate, & individuo ejus comite tranquillitate profectum facit.

II. Nobilissimum hoc argumentum duobus absolvi potest: *Questionis, An sit: & questionis, Quid sit, pertractatione.*

III. *Esse Providentiam divinam, quæ omnia & singula in hac rerum universitate conservet, gubernet, & ad fines congruos dirigat, ne quidem Ethnicis, solo naturæ lumine collustratis, ignotum fuit.*

IV. *Democritus tamen, & Epicurus omnem Providentiam sustulerunt, & Deum res humanas curare negarunt. Rectè verò apud Ciceronem I. de Nat. Deor. C. Cotta: Epicurus ex animis hominum extraxit radicibus religionem, quàm Diis immortalibus & opem & gratiam sustulit. Quùm enim optimam & præstantissimam naturam Dei dicat esse, negat idem esse in Deo gratiam, tollit id, quod maximè proprium optimæ præstantissimæq; naturæ. Quid enim est melius, aut quid præstantius bonitate & beneficentiâ? Epicurus igitur re tollit, & oratione relinquit Deos, dicit idem Cotta. In finitæ nimirum sive divine bonitatis est, creaturas suas conservare, gubernare, sive ad certam & destinatam metam dirigere.*

V. *Epicuri vestigia præsit Plinius, providentiam irridendo: Irridendum, inquit Hist. Nat. l. II. cap. VII. agere curam rerum humanarum illud, quicquid est, summum. Et rationem adjicit, quâ nihil futilius: An tam tristi atq; multiplici misterio non pollui credamus dubitemusve?*

VI. *Ceterùm dari providentiam, tot sermè Scripturæ S. Testimoniis probari potest, quot S. Scripturæ dantur paginæ. Consulantur vel sola capitula*

Sobi 12. 38. 39. 40. 41. Psalmi 91. 104. 107. 136. Matth. 6. & 10. Act. 14. vers. 15. & c. 17. v. 24. 25. 28. Hebr. 1. 3. Et sane, quod ipsa S. literæ adhuc hodiè nobis supersint, & quidem integræ ac incorrupte, illustre est divinæ Providentiæ argumentum. Omnia etiam & singula, quæ iis continentur, excellentia sunt Providentiæ argumenta. Et enim istæ nos docent, & commonstrant, quàm sapientissimè & clementissimè omnipotens Deus inde à primâ creatione totum mundum, præcipuè Ecclesiam suam, & in eâ electos suos, rexerit, atq; gubernavit: pollicetur etiam, Deum usq; ad seculi consummationem adesse velle, neq; unquam suos deserere. Quare tota Scriptura S. nihil aliud est, quàm pellucidum speculum, è quo, quocunq; te vertas, pervigil ille providæ directionis oculus promicat.

VII. Benè Liber Sapientiæ c. 6. v. 8. parvum & magnum ipse fecit, $\delta\mu\omega\lambda\omicron\varsigma \tau\acute{\iota} \omega\epsilon\upsilon\omega\epsilon\acute{\iota} \omega\epsilon\iota \pi\acute{\alpha}\nu\tau\omega\upsilon\upsilon$, & paritèr providentiâ & curâ suâ destituit. Sic enim rursus infra c. 12. v. 13. Non est Deus præter te, cui curæ sunt omnia. Ait quidem Apostolus 1. Cor. 9. Num boves curæ sunt Deo? non quod planè curæ non sint, sed quod magis curæ sint homines. Quo etiam loquendi modo dicitur: Misericordiam volo, & non sacrificium Hof. 6. 6. Matth. 9. 13. Adde Jerem. 7. 22. Aliàs certè homines & jumenta servat Psal. 36. v. 7. Vid. etiam Psal. 104. v. 25. 27. 28. Item Psal. 147. v. 8. 9. 15. 16.

VIII. Porro providentiæ Dei adstruendæ sufficiunt & hæc argumenta: (1.) A naturâ Dei, qui nec summè sapiens censei sine Providentiâ potest, nec summè potens, nec summè perfectus & bonus, adeoq; nec Deus. Qui enim, vel summè sapiens sit, qui non omnia prospicit, nec omnibus? Qui summè potens, qui non omnia partim sustinet, partim administrat, partim moderatur? Qui summè perfectus & bonus, qui nullam eorum, quæ produxit, curam habet: imò, qui prima causa dici potest, si præter eum causæ aliæ dantur primæ ac independentes? (2.) A naturâ rerum creatarum, quarum plurimæ, nec finem prospiciunt, nec eum prospicere possunt, & tamen in eum certis legibus & constanti tenore feruntur, adeoq; à mente superiore omnium præsciâ dirigi debent.

IX. (3.) Ab harmoniâ & ordine omnium admirando, qui inter tot, & confusa in speciem, & sibi invicem opposita, sine rectore & numine superiore dari non potest. (4.) A prædictionibus admirandis eventuum futurorum ad minimas usq; eorum circumstantias, in Veteri Novog. Testamento, quæ Providentiâ Dei sublatâ nec dari potuissent, nec concipi. (5.) A conscientia sensu, quæ Deum sibi præsentem in omnibus sentit, ac omnium directorem & moderato-

deratorem, bonorum vindicem, malorum iudicem, vel in se, vel in aliis experitur. (6.) A contrarietate rerum, quæ se invicem perimerent, nisi à mente superiore intra obices & cancellos suos coercerentur, & admirandâ contemperatione, partim toti universo servando, partim ejus partibus colligandis & conservandis destinarentur. Meritò itaq; Nemesius c. 42. ista duo in Deo conjungit τὸ καλῶς ποιῆσαι, καὶ τὸ τῶν γενεαφόρων καλῶς ὑπηρετηθῆναι. Et Basilius observat, nihil posse dici ἀπερονόητον, ἢ δὲ ἡμελημέρον τῶν θεῶν, καὶ ἀκρίμνητον θεῶν ὁφθαλμὸν πάντων σκοπεῖν, καὶ πᾶσι παρῆναι.

X. (7.) A badmirandâ boni ex malis edactione, quæ sapientissimam omnium directionem in supremâ illâ mente arguit. Exempla obvia in permissione lapsus, venditione Josephi, tentatione Jobi, crucifixione Christi, persecutione Ecclesie, & aliis id genus (8.) A cultu Dei; ut iste naturâ humanis mentibus inditus est, ita etiam sensus quidam providentiæ divinæ. Colere enim Deum, & tamen providentiæ ejus negare, est sibi ipsi contradicere. Nam cur adorarent, cur sacrificarent, cur auxilium poscerent homines eum, quem sui curam non habere crederent? (9.) A beneficiis & judiciis extraordinariis quæ Deus effundit, illa in bonos, ista in malos, præter & suprâ omnem rerum humanarum vel ordinem vel apparatus.

XI. Deniq; (10.) à confessione Sapientiorum inter gentiles etiam Plato equidem Providentiæ divinam serîo adserit. In Epinomide toti suo de Diis sermoni hoc tanquam fundamentum substernit, quod curent omnia, magna ea sint, aut parva. Et Libro 4. de Legibus exclamat: Deus, ó Viri, sicut antiquus quoq; sermo testatur, principium, finem & media rerum omnium continens, recta peragit. Singularium curam egregiè explicat libro X. de Legibus: Caveamus, inquit, ne Deum mortalibus opificibus viliozem putemus. Isti sanè quæ totò peritiores sunt, tantò arte unâ in propriis ipsorum operibus & parva simul & magna exquisitius absolutiusq; perficiunt: Deus verò qui sapientissimus est, & curare potest ac vult, magnis quidem providebit solum: parva autem, quæ facilius gubernari possunt propter pigrum & ignaviam negliget? Nullo modo hanc de Diis opinionem, admittendam putamus. Nefaria enim hæc & falsa penitus cogitatio. Stoici Providentiæ Numinis asseruerunt, aded, ut de iis Cicero scribat l. 3. de nat. Deor. Rationem de Providentiâ Deorum ab illis sanctissimè & providentissimè esse constitutam. Seneca de hac ipsâ peculiarem librum scripsit, titulo, Quare bonis viris mala accidant, quum sit Providentiâ. Plures, brevitatù gratiâ, non adducimus.

XII. Nomen hoc loco *Προνοια* est, quod occurrit Sap. 14. 3. & deducitur à *Προνοειν*, de quo vide 1. Tim. 5. 8. id est, providere seu prospicere. Synonyma ejus sunt, portare (sustentare), in systemate conservare, curare, administrare, gubernare. Hebr. 1. 3. Colof. 1. 17. 1. Petr. 5. 7. Sap. 12. v. 18. Cap. 14. 3.

XIII. Providentia aliàs accipitur pro decreto divino gubernandi mundum, & res quasvis ad congruos fines, in primis finem ultimum, qui est gloria Dei, dirigendi, & ita quidem, ut natura rerum, & divina bonitate atq; eminentiâ dignum est: Aliàs verò pro executione illius decreti, sive pro mundi hujus gubernatione: Prior acceptio id exprimit, quod Providentia propriissimè est: posterior id, quod communi modo loquendi Providentia dicitur. Prius est ab æterno, posterius in tempore: prius solius Dei & mentem divinam non exit, posterioris participes sunt quoq; creaturæ, quatenus his Deus utitur ad providentiæ suæ decreta in tempore exequenda.

XIV. Questionem ergò Quid sit Providentia, ad duo revocamus capita. Vel enim spectari debet in antecedente decreto, vel in subsequente executione, & sic providentia alia dari potest ordinativa rerum futurarum, alia actualis, vel executiva, quarum illa est æterna rerum omnium ad fines suos destinatio, ista temporalis omnium secundum decretum istud administratio.

XV. In decreto faciendo concurrunt intellectus & voluntas. Quia igitur Providentia decretum divinum est, in eo animadvertere erit, & quod intellectui divino, & quod voluntati competat. Actus intellectus divini est, quo ab æterno Deus res universas cognovit, quomodo sint, aut esse possint, & cognitæ certâ ratione disponendas atq; ordinandas judicavit. Actus voluntatis est, quo Deus, quæ intellectu cognovit, & ordinavit, vult & decernit, sicut cognovit & ordinavit, ob eos, quos intendit, fines, fieri vel permittere, ut fiant. Qualem inaq; ordinem Deus ab æterno constituit, talem in tempore exequitur.

XVI. Differt Providentia à Prescientiâ Dei, quia hæc est absolutum & essentialiale Dei attributum, ut non possit esse non prescius rerum omnium: Illa est voluntaria cura de creaturis, supponens voluntatem & actum creandi, & sequens ratione ordinis in mente Dei productionem creaturarum, præcedens verò earum motus tam spontaneos, quam voluntarios. Quod patet ex compositione vocis Providentiæ cum objectis jam existentibus in mente divinâ Gen. 1. v. 4. 10. 12. 18. 21. 25. Lucem primigeniam jam productam, & ejus distributionem, ministerio certorum luminarium adhuc committendam, vidit ac prævidit Deus esse & futuram fore bonam c. 22. 8. Deus providebit sibi victimam holocausti, quæ statim apparebat in ariete. 1. Sam. 16. v. 1. providebit mihi Regem ex filiis Isai Bethleemita. Vid. Ezech. 20, 6. Rom. 8. 29. c. 11. 2. 1. Petr. 1. 2

XVII. 116

PVII. *Ut causa efficiens providentiæ vel subjectum quod providet Deus Trinus est: Sic materia vel objectum, circa quod occupatur, sunt personæ omnes, & actus earum, & res omnes, & rerum omnium circumstantiæ. Act. 17. 25. 28. Prov. 20. 24. 25. Gen. 1. 31. Psal. 104. Sap. 11. 21. Hebr. 1. 3.*

XVIII. *Tantam verò esse Sphæræ hujus objecti latitudinem, præter rerum ipsarum rationem ac naturam, docet S. Scriptura disertè. Primò personas omnes creatas huic providentiæ divinæ subijci patet ex earum enumeratione adæquatâ. Sunt enim vel Angelicæ, vel Humanæ. Angelicas personas providentiæ divinæ subijci tum bonas, quæ servarunt originem suam, tum malas, quæ eâ exciderunt, docet Spiritus S. Illas Psal. 91. 11. & 104. 4. Hebr. 1. 14. Istas Job. 1. 12. 1. Reg. 22. 21. 22. Matth. 8. 31. 32. Humanas eidem providentiæ Deï obnoxias esse, nec in genere tantùm, sed & in individuo patet ex Psal. 36. 7. & Ps. 22. 10. Ps. 33. 18. Psal. 71. v. 5. 6. 9. Ps. 139. 14. seq. Jobi 10. v. 8. 9. 10. seq. C. 14. 5. & C. 14. 21. 1. Sam. 2. 6. Es. 46. v. 3. Dan. 2. 21. Matth. 10. 30. Act. 17. 26. 27. 28. 1. Tim. 4. 10.*

XIX. *Actus etiam personarum eidem providentiæ subesse docet Scriptura 2. Cor. 3. 5. Phil. 2. v. 13. Jac. 1. 17. & c. eosq; partim necessarios Ps. 104. v. 13. 14. Hof. 2. v. 21. 22. Luc. 24. 46. partim contingentes Exod. 21. 13. Deut. 19. 5. Psal. 33. 10. Prov. 21. 1. Ezech. 20. 26. Matth. 10. 19. partim voluntarios Gen. 45. 8. Exod. 4. 11. Jer. 10. 23. & c.*

XX. *Res verò omnes hac Sphæra comprehendi ex earum etiam distributione liquere potest. Sunt verò illæ vel animatæ vel inanimatæ. Illæ (1) sensitivâ animâ præditæ, eaq; vel aëreæ, vel terrestres, vel aquatiles. Aëreas providentiæ divinæ subjacere patet ex Jobi. 39. 3. ex Psal. 104. Psal. 147. 9. & ex Ps. 148. 10. Matth. 10. 29. Luc. 12. 6. Terrestres patet ex Gen. 1. 30. ex Ps. 104. & Ps. 147. 9. Aquatiles patet ex Ps. 104. 25. & c. Matth. 17. 27. Luc. 5. 6. Job. 21. 6. (2) præditæ animâ vegetativa tantùm, quales sunt herbæ, flores, fructices, arbusta, arbores, Ps. 104. 16. 17. Matth. 6. 28. 1. Cor. 15. 38.*

XXI. *Res inanimatæ sunt vel cælestes, vel sublunares. Cælestes à Providentiâ divina regi patet ex Jos. 10. 13. Psal. 104. 19. Ps. 147. 4. Jer. 31. 35. Matth. 5. 45. Sublunares sunt vel simplices comparatè, ut elementa, quæ isti regimini obnoxia sunt Job. 38. 10. & c. Ps. 104. & 107. v. 24. 30. Ps. 119. v. 90. 91. Matth. 8. 27. Vel imperfectè mixtæ, ut meteora, quæ & ipsa Dei providentiæ subijci docent loca 1. Sam. 7. 10. Job. 5. 10. & c. 28. v. 25. 26. Ps. 18. 13. & 50. 3. & 104. 13. & c. Psal. 148. 4. 5. Matth. 5. 45. & c. 8. 27. Act. 14. 17. Vel perfectè mixtæ, quales sunt mineralia, fossilia, metalla, lapides, & alia id genus Ps. 11. 6. Ezech. 16. 17. & c. 38. 22. Joel. 3. 5. Hag. 2. 9.*

XXII. Ex

XXII. Ex horum locorum collatione patet (1.) Non genera tantum & species, sed & individua & singularia quæq; providentiæ isti subesse. (2.) Non magna tantum vel majora, sed & minima quæq; nec quicquam infra providentis sapientiam esse, quod non fuit infra potentiam creantis Psal. 147. 9. Matt. 6. v. 28. 29. 30. c. 10. v. 29. 30. (3.) Non necessaria tantum, sed & contingentia, sive casualia, sive fortuita, quæ vel velut à causa videntur, vel saltem à nullâ causâ providente Ps. 33. 10. Prov. 16. v. 9, 33. Matth. 10. 29.

XXIII. Forma Providentiæ Dei tribus actibus circumscribitur: (1.) Præscientiâ (2.) Conservatione omnium (3.) eorundem gubernatione. Præscientiâ vel prævisio Dei nobis sic dicta (ut enim divinæ menti fuerunt ab æterno, ita etiam sunt & erunt omnia & τῶν πάντων præsentia) est, juxta Scripturam, certâ & infallibilis cognitio omnium, antequam sunt, vel fiunt, vel esse possunt. Objectum illius sunt omnia præsentia, præterita, & futura, non modò quæ certò futura sunt, sed & contingenter futura, adeoq; res omnes, & omnium rerum accidentia, etiam minutissima quæq; tum bona tum mala, facta, dicta, cogitata, V. Ps. 139. 2. seq. Job. 6. 64. & c. 18. 4.

XXIV. Sociniani Deo certam & infallibilem futurorum contingentium præscientiam audacter derogant. Impugnat eam ex professo Socinius Prælect. Theol. c. 8. 9. 10. 11. Cujus ἡ ἀληθινή μὲν τῶν πραγμάτων sua secerunt Val. Smalcus refut. Nod. Gor. c. 17. & Resp. ad B. Frantz. disp. 12. Item Cunradus Vorstius. V. & Crellius de Deo & attr. div. c. 24. p. 201.

XXV. Contrà dari in Deo scientiam futurorum contingentium, sive, quod idem est, Deum futura contingentia certò & infallibiliter nosse seqq. probamus: Nam (1.) S. Scriptura de præscientiâ divinâ rerum futurarum contingentium passim testatur, quod varia docent Vaticinia, ut verè Tertullianus l. 2. c. Marcion. dixerit: Præscientiam Dei tot habere testes, quot fecit Prophetas. (2.) Verus Deus certâ futurorum prænotione discernitur à fictis Diis Es. 41. 22. Accedant & annuncient vobis אֲנִי יְהוָה אֲקִרְיָנָה accidentia futura & c. quâ voce accidentia vel contingentia notantur Gen. 42. 29. 6. 44. 29. (3.) Deo nota sunt omnia opera sua à seculo Act. 15. 18. Atqui inter opera divina sunt etiam multa accidentia, & merè contingentia: quare illa quoq; Deo nota fuerunt à seculo. (4.) Deus disertè testatur, se novisse talia, quæ merè contingentia sunt e. g. de Abrahamo: Scio, quòd præcepturus sis filiis tuis, ut custodiant viam Domini. Gen. 18. 18. (5.) Deus à longè, hoc est, ab æterno, merè contingentia videt, teste Davide, qualia erant, Iessio, resurrectio, & accubitus Davidus Ps. 139. 2. (6.) Constat è s. literis,

literis, quòd ea Deus certò præviderit, quæ licet nunquam eveniant, eventu-
ra tamen forent, si hoc vel illud contigerit; e. g. quòd Kegelitæ Davidem,
tradituri essent, si in civitate permaneret, 1. Sam. 23. 12. Quod Tyrus &
Sidon poenitentiam egressent, si talia miracula illis patrata essent, quæ in
Corazin & Bethsaida Matth. 11. 22. quæ certè sunt merè contingentia. Quan-
tò itaq; magis ea prævidet, quæ verè eventura sunt, & actu ipso eveniunt?

XXVI. (7.) Mala ex voluntatibus hominum dependentia, antequam fie-
rent, Deum scivisse ac prævidisse (quod negat Socinus) Scriptura docet. Etenim
occurrunt passim prædictiones peccatorum e. g. De induratione Pharaonis, de
sceleribus populi Dei, de lapsu Petri, de Judæ proditione, de Antichristo &c.
Hæ enim prædictiones aut sunt certæ & infallibiles, aut dubiæ atq; incertæ.
Si posterius dicatur, periclitabitur utiq; S. literarum certitudo. Si autem
prius obtineat, manifestum est, futura contingentia à Deo certò prævideri,
aliàs certò prædici non possent. (8.) Deus omnia cordis cogitata omnium
filiorum hominum intuetur 1. Sam. 16. 7. 1. Reg. 8. 39. Ps. 94. 11. Ps. 139. v. 2.
seq. & v. 23. Job. 42. 2. Quare necessum est, Deum tam bonas quàm malas
cogitationes, priusquam ipso opere impleantur, intruere, ac proinde non mi-
nus mala, quàm bona opera prævidere, antequam fiant. (9.) Deus videt ac in-
tuetur omnia, quæ sunt, sive bona sive mala sint, Jobi 28. 24. Hebr. 4. 13. Ne-
cessum itaq; est, eum ab æterno, & nunquam non ea scivisse, ac prævidisse, vel
certè dicendum erit, divinam scientiam crescere, & incrementum capere in
tempore, & Deum experiri atq; addiscere ea hoc tempore, quæ antea ignora-
vit, quæ sunt absurda.

XXVII. Ceterum præscientia Dei, utut certa & infallibilis, nullam tamen
rebus per se necessitatem imponit. Nam Scriptura expressè docet, Deum certò
nosse omnia futura, quæcunq; tandem sint. Eadem quoq; passim testatur, mul-
ta contingentè fieri, & nullà necessitate Angelos ac homines agere, quicquid
voluntate suâ faciunt. Quarè certitudo præscientiæ divinæ contingentiam re-
rum non tollit; sed nec potest: non enim ulla earum ideò futura præcisè est,
quia Deus futuram præscit, sed contrà, ideò Deus ab æterno futuram præsci-
vit, quia futura erat. Quicquid itaq; contingentè futurum est, id ob præscien-
tiam divinam, ita futurum esse non desinit, quandoquidem præscientia illa
causa non sit, propter quam extitutum est, ac proinde nec necessitatem essendæ
ei imponere possit: nam hæc à causa rei oritur. Deindè, præscientia illa non
tantum est rei ipsius notitia, sed etiam modi rei, quomodo scilicet futura sit,
num contingentè nec ne: qui si mutaretur per præscientiam divinam, ut è re

B

contin-

contingente fiat necessaria, non esset rei consona divina præscientia.

XXVIII. Cum Præscientiâ conjungitur Conservatio, quæ vel Specierum est, vel individuorum, sive quoad esse eorum, sive quoad eorundem operari. Act. 17. 28. Species conservat Deus, essentias rerum easdem servando, & perpetuam illis durationem impertiendo, benedictionis primariæ, aliquoties repetitæ Gen. 1. efficaciam. Individua conservat Deus in esse semper dum sunt, non ad semper, ut semper sint, durationem illis existentie impertiendo, interdum brevem, interdum longam, sed desinitam tamen & interitui obnoxiam Job. 14. 5. minorem semper duratione universi, undè tempus edax, ac tempore omnia consumi dicuntur, quoniam nullius individui sublunaris completi duratio æquè extenditur, ac duratio universi. Hinc patet dependentia causarum omnium secundarum à primâ tum in esse, tum in operari, quam Apostolus innuit Act. 17. 28. quippe quæ est attributum entis finiti inseparabile. Et merito Scholastici docent, non magis persistere posse creaturam in suo esse sine Dei conservatione, quàm lapidem vel lignum, ab homine sustentatum, eo manum subducente. Quod ipsum Psalter innuit Ps. 104. 28. 29. 30. Neq; hoc tantum commune corporibus sublunaribus, sed & corporibus cælestibus, quia quemadmodum per potentiam Dei cœperunt habere esse, ita per eandem possunt desinere id habere, Deo manum subducente. A quâ obnoxietate ne animæ quidem humanæ eximi possunt, nec in statu informationis, nec in statu separationis.

XXIX. Gubernatio tertius Providentiæ divinæ actus est, quo Deus omnes & singulas creaturas, cujuscunq; vel ordinis sint vel conditionis, ad fines, à sapientiâ suâ præstitutos, per media à se ordinata, per potentiam suam dirigit. Nec verò ista gubernatio vel naturam rerû in causis naturalibus evertit, vel in liberis earû libertatem tollit, nec ullam istis necessitatè immittit, quam natura suâ non habent, nec obstat, quò minus contingenter & liberè fiant, quæcunq; alias eo modo fieri solent, sed conveniens est, & naturis singularum, & facultatibus iisdem ab eo, à quo gubernantur, insitis. Permittit itaq; Deus causas naturales & necessarias, naturalitèr & necessariò agere, contingentes contingenter, & liberè liberè. Gubernat iisdem res universas, uti dignum est suâ ipsius sapientiâ, bonitate, justitiâ, nempe ut pulchritudo & varietas hujus universi, perpetuusq; ordo sine temeritate & confusione servetur: ut omnibus suis creaturis beneficiat, præsertim earum, quæ afflictæ sunt, misereatur, media ad fines, quibus eas destinavit, præparet & impertiat: rebellium verò, & præfractæ contumacium improbitatem ulciscatur: deniq; omnia in nominis suæ gloriam

gloriam vertat, quæ finis est ultimus, & quem semper obtinet, sive ex servatis, sive ex perditis hominibus, etsi malit cum obtinere cum salute, quam cum intuitu hominum.

XXX. Est verò gubernatio ista vel extraordinaria sive immediata, vel ordinaria sive mediata. Extraordinaria vel immediata est, quum Deus vel absq; mediis, vel præter aut supra media, vel contra media, eorumq; naturam operatur, partim ob finem theoreticum, ad independentiam suam à causis secundis ostendendam, partim ob finem practicum, ad erigendam filiorum suorum spem contra spem, & animos eorum à causarum secundarum intuitu in earum defectu ad se erigendos.

XXXI. Absq; mediis Deum operari Scriptura testatur non tantum in rebus creandis, sed & in rebus jam creatis gubernandis, sive illæ naturales sint, ut patet ex fecundatione terræ immediatâ Gen. 2. 5, 6. sive liberæ, ut patet ex sustentatione Moysi & Eliæ miraculosâ Exod. 34. 28. 1. Reg. 19. 8. Et miraculorum variorum immediatâ patratiōe. Præter aut supra media Deum quandoq; operari patet ex aliquot Moysi & Prophetarum & Christi miraculis, in quibus quidem sæpè uti voluit mediis, sed talibus, quorum nec ullus in effecta producta influxus esse potuit, nec ulla naturalis cum iis connexio. Sic percussione aquarum eæ conversæ in sanguinem, aquâ Jordanis curata lepra, sibiricæ Christi apprehensione curata ægra, umbrâ Apostolorum sanati morbidî. Contra media Deum interdum operari patet exemplis, ut Eliæ, aquas affunderis altari, in quo ignis accendi debebat, corvi alentis Eliam, Christi curantis luto cæci oculis impactio cæcitatem. Gemina exempla in Solis & statione & retrogradatione, & sociorum Danielis præservatione in fornace Babylonicâ.

XXXII. Mediata Dei gubernatio est, quâ Deus causarum secundarum interventu secundum earum naturam, illis à se insitam, operatur, partim ad bonitatis suæ demonstrationem, partim ad mediorem, à se conditorum, usum. Nec ista gubernatio mediata imbecillitatis nota est, sed potentie, nec fit ex defectu virium, sed ex abundantia bonitatis, nec creatoris à creaturis notat dependentiam, sed istarum potius ab illo, quippe cui omnes sunt obnoxie & semper & ad semper.

XXXIII. Mediata ista gubernatio spectari potest vel in creaturis inanimatis vel in animatis, usq; partim ratione vel intellectu destitutis, partim præditis. Quæ providentiæ divinæ operatio non est destructiva naturæ rerum, sed perfectiva, & creatori simul ac creaturis gloriosa.

XXXIV. Gubernatio Dei spectata in creaturis inanimatis est earum motio

& ad actus & ad fines suos, secundum vires illis insitas, & earundem *πονη*
sive inclinationem naturalem, sine ulla actus quò, vel finis, ad quem feruntur,
cognitione. Hoc modo Deus corpora simplicia ciet, & mista sive imperfectè
sive perfectè talia. Sic levia moventur à centro sursum, gravia ad centrum
deorsum, neutra circa illud.

XXXV. Gubernatio Dei spectata in creaturis animatis est earundem mo-
tio & ad actus & ad fines suos, prævià urrorumq; apprehensione, convenien-
te naturis singularum. Quemadmodum verò illa partim solo sensu, partim
ratione, partim intellectu prædita sunt: sic diversa circa singula Dei guber-
natio datur, diversa etiam singulorum apprehensio est. Illa quæ solo sensu præ-
dita sunt, gubernat Deus, ea ad actus & fines suos ciendo, prævia eâ, quam ha-
bent, apprehensione sensitivâ, quæ tantum versatur circa τὸ ἡδιον, & circa
τὸ χεῖρισμον, circa jucundum & utile, non verò circa τὸ καλὸν sive hone-
stum, quod istis naturis non est ἐπιτην. Neq; vel finem apprehendunt quæ ta-
lem formalitèr sive reduplicativè, vel connexionem mediolorum assequuntur
cum fine, sed ut inanimata feruntur inclinatione, sibi à naturâ insitâ, sic ista
feruntur instinctu naturali.

XXXVI. Gubernatio Dei spectata in creaturis ratione præditis, hoc est,
hominibus, est earundem motio ad actiones & fines convenientes, interce-
dente & apprehensione directivâ intellectus, & inclinatione liberâ voluntatis.
Et quamvis Deus cum illarum actionibus concurrat immediatione tum sup-
positi, ut loquantur, tum virtutis, dum videlicet & essentiâ & potentiâ suâ
immediate actionibus adest, & utraq; ad ipsum esse earum pertingit, nec hoc
tamen concursu, vel gubernatione Deus evertit, principia hominibus insita, ut
nec eorum sive naturam, sive facultates, sive ordinem, sive usum. Hinc eos
gubernat, partim propositione objecti, sive amplexandi, sive fugiendi, partim
motione potentiæ ad ejus, sive amplexationem, sive fugam, idq; sub ratione vel
honesti, vel utilis, vel jucundi, ut & intellectus rationem motivam sui ad
actum apprehendat in ipso objecto, & voluntas liberè in id feratur.

XXXVII. Ut verò agentium ex ratione duplices sunt actiones, quedam
bonæ, quedam malæ, duplices etiam fines actionum: Sic diversa Dei circa
utraq; est gubernatio, & aliter Deus concurrat cum illis, aliter cum istis. Ad
bonas actiones concurrat non tantum sustentando, sed & adjuvando ac ope-
rando velle & perficere. In malis autem actionibus, quamvis sustentet natu-
ram, non tamen adjuvat voluntatem, ruentem contra divinum ordinem.

Nam

Nam ad bonum concurrat activè, quandoquidem nihil boni esse possit, quin sit à summo bono: ad malum verò ita concurrere nequit, sed illud extremè odit, detestatur, dissuadet, prohibet, & quantum ratione æquitatis atq; ordinationis suæ tenetur, impedit. Psal. 5. 5. Zach. 8. 17. Jer. 7. 29. & C. 19. 5. Job. 33. v. 15. 28. 29. Concurrat autem nihilominus suo modo ad actiones mala, scilicet 1. naturam malè agentem sustentando & permittendo mala 2. Modum statuendo peccatis, & metas ac limites eis ponendo 3. Eadem ad bonos fines, in quos aliàs ex se, & intentione facientium, minimè vergebant, dirigendo. Sic igitur, certis quibusdam modis Providentia Dei circa peccata versatur. Nempe permittit ea Deus, commissæ verò in materiam vel misericordiæ vel justitiæ suæ declarandæ verit: misericordiæ, si emendentur & condonentur justitiæ, si vindicentur. Unde Augustinus Enchiridii ad Laurentium cap. XXVII. melius judicavit de malis benè facere, quam mala nulla permittere. Et Cap. XI. Deus omnipotens, quùm summè bonus sit, nullo modo fineret mali esse aliquid in suis operibus, nisi usq; ad eò esset omnipotens & bonus, ut beneficeret etiam de malo.

XXXVIII. In gubernatione Dei etiam distinguenda semper in actione mala: primò ipsa actio reduplicativè, in quantum est actio, secundò à causa, cum eà conjuncta, vel eam comitans. Ad actionem, quæ est actio, Deus efficienter concurrat, tanquam causa princeps & universalis: nec magis cum actione vitium confundi debet, quam lepra cum corpore, vel macula cum substantia parietis. Ad causam & inordinationem actionis Deus non concurrat efficienter. Nec absurdum est, inquit Riverus disp. de pecc. prim. thes. 18. concurrere aliquid ad actionem, non tamen ad actionis inordinationem. Cujus exemplum habemus in naturâ in claudicatione. In hac duo considerari possunt. Alterum est motus seu progressus: alterum est defectus in incessu. Motus in incessu claudicantis est à potentiâ locomotiva; defectus in illo incessu, vel ipsa claudicatio non oritur à virtute motivâ, sed à luxatione tibie. Sicut ergò defectus claudicationis reducitur, non in virtutem motivam, sed in tibiam curvam, cum tamen à potentiâ locomotivæ causeretur, quicquid est motionis in claudicatione: ita defectus secundæ causæ non est reducendus ad primam causam, quæ quidem causa est, quod secunda agit, sed non est causa, quod actiones secundæ causæ sint cum defectu. Sed sicut locomotiva movet tibiam, qualis est, & talis est etiam incessus: ita Deus sustentat naturam, qualis est. Ut benè Chemnitius ex Augustino de perfect. justit.

XXXIX. Gubernatio Dei spectata in creaturis mero intellectu præditis,


quæ ob id intelligentiæ nominari solent, vel Angelis, est eorundem motio ad actus & fines convenientes, intercedente pari ratione & apprehensione præviâ intellectus, & inclinatione liberâ voluntatis. Ut enim duo ista agendi principia sibi à Deo infra Angeli habent: Sic Deus per illa, & illorum usum, eos gubernat, nec ullam vel naturæ vel coactionis necessitatem eis infert, quamvis eadem dependentiæ necessitate respectu Dei cum reliquis creaturis teneantur, à quâ nulla creatura, utur in spherâ superiore constituta, eximi potest, quin desinat esse talis. Et sanè, tum illi Angeli, qui persisterent in integritate & sede suâ, in quâ creati fuere, tum illi, qui eâ exciderunt, liberrimè agunt, quod agunt. Nec vel confirmati Angeli in bono, vel derelicti in malo, hodieq; gubernationi Dei minus subsunt, sed ut utrorumq; esse semper dependens est, sic & operari.

XL. FINIS Providentiæ divinæ geminus est, unus communis, nempe providentis gloria, partim in sapientiæ, partim in potentiæ, partim in bonitatis, partim in justitiæ, partim in misericordiæ divinæ demonstratione: alter particularis, bonum scilicet cuiusq; creaturæ.

XL I. Effecta Providentiæ divinæ sunt, & res & personæ omnes, partim quâ conservatæ in suo esse, partim quâ gubernatæ in suis actibus Act. 17. 28. Colof. 1. 17. Nec sub hac Spherâ continentur naturæ tantum universales, sed & singulares, nec cælestes tantum, & digniores, sed & sublunares, quæq; maxime providentiâ divinâ indignæ, ut & eventus, qui præter eam & ejus directionem contingentèr omnino accidisse videntur.

XL II. Adjuncta Providentiæ divinæ metienda sunt ex naturâ providentis, ejusq; attributis. Cum enim providens & sapientissimus sit, & optimus, & liberrimus, & potentissimus, & justissimus, ac immutabilis, eadem in providentiæ divinæ tum administratione, tum consideratione eluceant attributa. Deut. 33. 3. Jobi 12. 13. Ps. 115. 3. Ps. 119. 137. Esa. 46. 10. Dan. 4. 34. Quæ & ipsa partim rebus, partim eventibus, partim replicatione omnium & singulorum, & conscientiâ ipsâ hominis, in providentiâ Dei intuentis, probantur. Certum quidem, occultam interdum providentiæ divinæ rationem esse, tum in beneficiis, tum in judiciis, & intellectui humano ἀνεπαλήκτως, prout ipsa providentis natura talis est. Certum tamen etiam, eam nec insipientem, nec injustam, nec malam esse posse, non magis, quàm ipsa providentis natura, quippe quæ in agendo omnino non deficit, nec etiam deficere potest.

Tantum,
ח'לן



Artibus Aoniis insudas mente sagaci,
Pervolvens pariter verba magistra DEI,
LUCOVI; porro, hancce viam decurrere, perge,
Sudoris magni commoda magna fluent;
Præmia magna fluent tandem majoris honoris,
Si fueris Patrii lausq; decusq; Soti.

Benevoli affectus declarandi ergò deproper.

P R Æ S E S,

Omnia quòd nutu residens super astra gubernet,
Et foveat stabili mente creata Deus;
Differis hoc scripto. Grator. Deus utq; gubernet,
Et foveat, roveo, Te studiumq; tuum.

l. m. q; adpos.

M. Johannes Känzeler /
Pastor Ec. ad S. Petrum.

Naturam doctrina juvat; Sed perficit usus.
Hec tria RESPONDENS ad sua pensa vocat.
Gratulor, & dulces studij successibus adsint
Fructus, sincerà mente manuq; precor.

M. Michael Cobabus

Providus in quantum DEUS est, non docta Sophorum
Demonstrat ratio: sed benè sancta docent
Dogmata coelestis, nobis patefacta, Jehova,
Quorum nullus opes sat penetrare potest.

His

His fretus merito *LUCOVI* jure fateris,
Quod Deus omnia agat, quæ-modo-cunq; velit.
Gratulor, atq; Deum precor, ut tua cœpta secundet,
Præmia sic studiis debita cuncta feres.

*Hicce Eximio Dn. Respond. gratulari
voluit, debuit.*

Georg. Gesenius, Wisn. Med. Stud.

Non fortuna, nec hæc casus moderatur habemas,
Sed solus toto est Rector in Orbe Deus
Id bene proponit tua Dissertatio præsens.

Gratulor, atq; precor prospera quæq; Tibi.


Hoc gratulabundus Eximio Dn, Respondenti app.


*Christianus Grapengiesser / Parchimensis.
S. Th. Stud.*


Obruta cimmeriis hominum est mens cœca tenebris,
Quæ curam rerum non putat esse Deo.
Verùm qui sylvas & flores ornat agrorum,
Providus hic Deus est, ceu sacra scripta docent.
Ex quibus id doctè monstras *dilecte LUCOVI*,
Quem juvat augustis invigilare libris.
Auspicio doctam fausto conscende cathedram,
Et prome ingenij sensa decora tui.
Hæc modò perge viâ felix: tua fama quadrigis
Ad nitidi farget culmina vecta poli.

*Sic Studijs Præst: & Doctijs: Dn. Resp. amici sui fraterne
colendi, gratulari voluit*

Georgius Schwarze / Pomer.







Artibus Aoniis infundas mentem
 Pervolvens pariter verba
 LUCOVI; porro, hancce via
 Sudoris magni commoda
 Præmia magna fluent tandem majora
 Si fueris Patrii lausq; decusq; So
 Benevoli affectus declarat


Omnia quod nutu residens super astra
 Et foveat stabili mente creata Deo
 Differis hoc scripto. Gratias. Deus utq; guber
 Et foveat, roveo, Te studiumq; tuum

M. Joha
 Pastor

Naturam doctrina juvat; Sed perficit
 Hæc tria **RESPONDENS** ad
 Gratulor, & dulces studij successibus ad
 Fructus, sincerâ mente manuq; præ

M. Mic

Providus in quantum **DEUS** est, non
 Demonstrat ratio: sed bene sanè
 Dogmata coelestis, nobis patefacta, Fel
 Quorum nullus opes sat penetrat



DEI,
 e, perge,
 at;
 per.
 E S E S,

zeler /
 rum.

abus

orum

His

